

# Q. D. B. V.

# PRÆFAMEN.

DE Corruptelis ſtudiorum, ſi non omnibus, ſaltim potioribus acturi, id dabimus operæ, ut ſcyllas eas præterire doceamus, quas in ſi illidatur, non eruditio, ſed eruditionis quædam larva obtinetur, ſicque Junonium vel evitemus inceſſum, vel ſtudiorum cultura damnum caveamus inferre nobismetipſis & proximo, nec, quod palmarium, ipſi Divinæ nos opponamus Providentiæ ac Gloriæ. Ad hoc enim omnes nos opinamur natos eſſe atque factos, ut nec terminos Providentiæ Divinæ tranſilire ſuſtineamus, nec deſimus ſtudio promovendæ Divinæ Gloriæ, neque detrimentum comparemus ſive nobis, ſive aliis. Horum omnium autem eas ſtudiorum, quas inducemus corruptelas, matrem eſſe fœcundiſſimam, ſubſequens ſat aperté loquetur meditatio. Non quidem impræſentiarum quisquam delineationem à nobis illius ordinis & requiſitorum omnium, quæ viam pandat ac commonſtret ad ſtudia cujusvis generis ſolidiora, expectet, hanc enim, uti pro cujusvis fine ac ſcopo diverſiſſimam requiri nemo non novit, ita eam ſuppeditare noſtri nunc non eſt inſtituti. Conferantur *HUG. GROTII & aliorum* Diſſertationes de ſtudiis inſtituendis, peculiari faſciculo collectæ & publicatæ Amſterodami 1645. ſpeciatim *SCHMIDII* tractatus de ſtudio Theologico, *LUDOVICI CROCII*, de ratione ſtudii Theologici. *JOHANNIS LOC-*

*CENII* de ſtudio Juris Diſſertatiuncula Epiſtolica. *JOHANNIS HEURNII* de ſtudio Medicinæ bene inſtituendo. *M. HORTENSII* de ſtudio Mathematico recte inſtituendo. *SEBASTIANI FOXII MORSILII*, de ſtudii Philoſophici ratione, Epiſtolæ. *RECHENBERGIUS* de ſtudiis Academicis, & *MORHOFIUS* in Polyhiſtore. Qui ſcopus autem & & finis ab omnibus, quos dulces numine ſuo afflarunt Muſæ, ita erit figendus, ne illius terminus poſitus teſtem præbeat negligentiæ atque ignaviæ ſupinæ, ſed, ut temporis tractu, & pro circumſtantiarum differentia, ſemper curemus ſtudia in altius evehere, & id, quod fortiſſimus quisque, fortunatiſſimus ac cupidiſſimus, & nos cupiamus conſcendere faſtigium, nunquam non memores, perpaucum eſſe quod ſciamus, &: O quantum, quod ignoratur! Pulchrum enim eſt, judice *JOACHIMO FORTIO RINGELBERGIO* in libro de ratione ſtudii, mediocrem Autorum æquare doctrinam. Pulchrius, ad ſummorum Virorum excellentiam contendere. Pulcherrimum longè, ſuperare Majores omnes, atque eum tenere montis tractum, quo nec aliquis pervenit unquam, nec fortaſſe quisquam eſſet perventurus. Primum prorſus facile. Medium arduum. Poſtremum tale, ut nefas videatur, ſi mente ejusmodi quicquam agitetur. Hactenus ille. Aſt videtur nefas eſſe, ſed non eſt, ſi modò ſemetipſum quilibet juſto nunquam non metiatur pede, &, amore veritatis incenſus, in ejus inquiſitionem ulteriorem atque ſolidiorem ſedulo incumbat, vel inquiſitam confirmare ſtudeat, turgido ſuperbiæ ac gloriæ faſtu ubivis ſepoſito. Quodſi enim pulcherrimum iſtud in ſe foret nefas habendum, & deſiderium ſciendi, omnibus connatum, foret fruſtraneum. Hoc autem corruptelas proponemus ordine, quem eædem ipſæ ſibi poſtularunt, iis priori loco adductis, quæ ſunt univerſaliores. Tu autem, alme DEUS, Scientiarum omnium Autor, fac ſis ut & nos nunquam non ſtudiorum Corruptelas ſtudioſè evitemus, dirigas autem, quæſumus, ſtudia ac labores noſtros in tui ſanctiſſimi Nominis Gloriam, & ſic quidem non deerit proximo, nec nobismetipſis ex iisdem prognatum emolumentum.

) ✿ (

COR-